

vel, quia deest illis circumstantia finis, cum propter Deum non fiant, ut dicit Gregorius Ariminensis; vel, quia fiunt ab homine peccatore, ac per hoc inficiuntur et vitiantur a sua causa, tametsi ex genere suo sint bona, ut dicit Martinus Kemnitius, qui hoc etiam illustrat similitudine cordis. Ut enim substantia cordis in se bona est, et tamen cor dicitur pravum, Hierem. 17. quia malis operibus inquinatur; sic etiam contra opera, in se bona, inquinantur, et fiunt mala, quia exeunt a corde malo; vel, quia bona opera moralia non habeant proportionem cum naturæ nostræ viribus; vel denique, quia nimis difficilia sint, ob carnis rebellionem, dæmonisque tyrannidem.

At nihil horum dici potest. Nam quod attinet ad circumstantiam finis, possunt Ethnici etiam sine fide cognoscere, Deum esse, et curam nostri gerere, ut supra probatum est; proinde poterunt operari bona moralia, ut Deo auctori naturæ obediant. Quo modo M. Tullius in somnio Scipionis monet, administrandam esse Rempublicam diligenter quia summo Deo nihil est gratius, quam ut concilia, cœtusque hominum bene gubernentur. Deinde non est necesse, omnia referre in Deum explicite, sed satis est, si opus referatur in bonum finem proximum; tunc enim per se dirigetur in Deum, ut in ultimum finem. Sicut enim omne agens particulare, agit in virtute primi motoris, id est, Dei, sic etiam omnis bonus finis movet in virtute ultimi finis. Alioqui non solum infideles, sed etiam fideles et justissimi quique semper peccarent, cum inter operandum de Deo non cogitant, sed operantur, quia ratio dictat esse bonum et faciendum. Itaque nisi apponatur circumstantia finis mali, omne opus bonum morale per se refertur in Deum, etiamsi auctor operis id non cogitet, vel intendat.

Quod autem possit homo, suis viribus, non apponere circumstantiam finis mali, immo etiam dirigere opus in finem bonum, secundum rationem, manifestum est: nam si potest suis viribus operari malum, sed arduum et naturæ contrarium, cur non poterit operari bonum facile, congruumque naturæ? Si potest, exempli gratia, suis viribus, sine auxilio gratiæ, projicere omnia bona sua in mare, vel ipse se occidere, a quo natura abhorret; cur non poterit paucos nummos largiri indigenti, vel hominem a præcipitio revocare ob misericordiam, ad quam prope natura

ipsa compellit? Et si potest interroganti, falsum de industria respondere, cur non poterit respondere verum, si nihil inde lucretur, aut perdat?

Quod autem pertinet ad iniquationem causæ, non potest opus inquinari a malitia causæ, nisi quando ab ipsa malitia procedit. Nam si ex bono naturæ, non ex adjuncta malitia, quis operetur, opus erit simpliciter bonum. Atque hoc modo eleemosyna hominis impudici bona esse poterit, si fiat misericordiæ causa, non impudiciæ. Per accidens enim opus illud est hominis impudici, per se autem misericordis. Hoc autem esse verissimum, ex eo potest intelligi, quod si semper malitia causæ inquinaret effectum, oporteret opus non solum esse malum, sed in specie malitiam ipsam causæ participare. Itaque eleemosyna hominis avari esset mala in specie avaritiæ, et jejunium intemperantis esset malum, in specie intemperantiæ: quæ absurdissima sunt.

Nec similitudo cordis a Kemnitio adducta, aliquid probat. Nam substantia cordis inquinatur a malitia omnium suorum operum, quoniam est per se causa omnium illorum operum; contra autem opera cordis, non inquinantur omnia a malitia cordis. Quoniam non omnis effectus sunt per se illius malitiæ, sed in multis malitia non concurrat, nisi per accidens, bonum autem naturæ per se.

Neque tertium illud dici potest, non habere proportionem opus bonum morale cum viribus naturæ. Natura siquidem, quamvis per peccatum deterior facta sit, quam esset in statu innocentiae, non tamen infirmior est, quam fuisset in puris naturalibus. In puris autem naturalibus sine dubio proportionem habuisset cum bono morali, quod naturaliter cognoscitur et appetitur. Quorsum enim ratio illi data esset, si nihil omnino secundum rationem agere posset? Agere vero secundum rationem, est moraliter bene agere.

Denique nec dici potest, quod quarto loco adferebatur de nimia difficultate, ob tentationum vehementiam. Nam hoc loco non agimus nisi de rebus facilibus, et naturæ valde consentaneis, atque omni tentatione cessante; qualia sunt misereri pauperis in via occurrentis, providere filiis, adjuvare cognatos, et alia id genus.

Secunda ratio ducitur ab absurdis, nam si nullum opus bonum fieri posset ab infidelibus, sequeretur, melius illis esse, remoto præcepto, bona opera ex objecto non facere,

quam facere. Nam faciendo peccarent, non faciendo non peccarent. Itaque monendi essent infideles, ne facerent eleemosynas, ne pacificarent discordes, ne imperitos docerent, nisi quando ex præcepto aliquo tenerentur. Hæc autem sine dubio absurdissima sunt.

CAPUT X.

Solvuntur argumenta contra propositionem capitis superioris.

Adversariorum argumenta contra propositionem capitis superioris nec pauca sunt, nec levia.

Primum argumentum Kemnitii est. Scriptura docet, Deo displicere opera omnia impiorum, quamvis alioqui speciosissima, et a se instituta, ut cognosci potest ex illis verbis: *Incensum abominatio est mihi, et solemnitates vestras odit anima mea*, Isaia 1. Et rursus: *Qui immolat bovem, quasi qui interficiat virum*, Isaia LXVI. Item *Sacrificium impiorum abominatio*. Proverb. xv (1). Multo igitur magis Deo displicebunt alia opera, minus speciosa et humana, si ab impiis fiant. Respondeo: multum interest inter sacrificia et opera moralia, nam ut fiat bene opus morali non requiritur, ut fiat cum detestatione peccatorum, vel cum conscientia pura, quod tamen requiritur ad sacrificium rite offerendum. Cujus differentiæ ratio est, quia sacrificium habet pro fine placare et reconciliare Deum, vel ab illo beneficia aliqua impetrare, aut pro acceptis gratias agere: qui autem Deum sibi reconciliare nititur, et tamen peccata non detestatur, nec relinquit, is pugnat cum ipsa sua actione, nec tam Deum placat, quam ad iracundiam provocat. Sic etiam qui vult a Deo beneficia impetrare, vel ei pro acceptis gratias agere: et tamen cum eo inimicitiam gerit, eumque offendere, legem ipsius prævaricando, non cessat, is Deum non tam honorat, quam irridet. Quare nihil est mirum, si sacrificium ejus Deo non placeat, quippe quod non rite offertur. At opus morale, ut eleemosyna in pauperem, non habet pro fine, nisi egenti opem ferre, ad quem finem consequendum nihil pertinet puritas, vel impuritas vitæ, et conscientia ejus, qui eleemosynam facit.

Secundum argumentum sumunt Calvinus et alii, communiter ex illo Genes. vi. *Omne figmentum cordis humani tantum est malum* (2). Sic enim ipsi vertunt ex Hebræo. Respondeo: Scriptura hoc loco, ut in aliis plurimis, tribuit omnibus, quod convenit majori parti. Sententia igitur hujus loci est, majorem partem cogitationum, sive præcipuum studium hominum illius sæculi fuisse malum. Quo sensu in eodem loco scribitur: *Omnis caro corruerat viam suam*. Et tamen ibidem additur: *Noe vir justus fuit, atque perfectus*. Simile locutiones sunt Psal. i. *In lege Domini meditabitur die ac nocte*. Psalm. xxxiii: *Benedicam Dominum in omnitempore*. Luc. xviii. *Oportet semper orare, et nunquam deficere* I ad Thessalon. *Sine intermissione orate*. Joan. xii. *Mundus totus post eum abiit* (3). Quare sanctus Augustinus in lib. de unitate Ecclesiæ, cap. xii. scribit, in sacris litteris sæpe reprehendi omnes homines, cum solos malos Spiritus sanctus reprehendere velit, et contra.

Tertium argumentum sumunt ex Psalm. xiii. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum* (4). Quem locum allegat etiam Apostolus ad Roman. iii (5). Respondeo: libenter fatemur, omnes homines esse in statu peccati (quod Apostolus eo loco probare contendit, ut necessitatem gratiæ Christi manifestam faciat et inutiles ad opera faciendâ, quæ Deo placeant, nisi prius per Dei gratiam et redemptionem, quæ est in Christo Jesu, reconciliantur et justificentur. Illud autem: *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum*, non significat, neminem esse qui faciat aliquid opus bonum morale, sed, neminem esse, qui juste vivat, servando totam legem moralem. Id enim præcedit, non est justus quisquam, non est intelligens, omnes declinaverunt, etc. Neque enim justus dici potest, aut simpliciter bonum facere, qui multis peccatis unum aliquod bonum opus admiscet.

Quartum argumentum sumit Calvinus ex illo versu Psalm. lxi. *Mendaces filii hominum in stateris, ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum* (6). Siquidem in Hebræo hic est verborum illorum sensus: *Mendaces filii hominum, et vani in stateris præ ipsa vanitate*, id est, si ponderentur homo, et vanitas in sta-

(1) Isaia 1, 13; Isaia LXVI, 3; Prov. XV, 9.—(2) Gen. VI, 5.—(3) Psal. I, 2; ibid. XXXIII, 2; Luc. XVIII, 1; I Thess. I, 2; Joan. XII, 19.—(4) Psalm. XIII, 2.—(5) Rom. III, 12.—(6) Psalm. LXI, 40.

tera, homo levior et vanior apparebit. Quid igitur boni ab illo expectari potest, qui est ipsa vanitate vanior?

Respondeo primum: Græca et Latina versio ejus loci satis commode defendi potest. Illud enim לעלות מהר, id est, ad ascendendum præ vanitate, potest optime reddi, ad prævalendum ex vanitate. Nam præpositio Hæbraica מן significat tam ex, et de, et ab, quam præ. Sic etiam ascendere, præsertim apud Hæbræos, significat non raro prævalere. Itaque sensus esse potest, etiam secundum Hæbraicum fontem: *Mendaces filii hominum in stateris*, id est, in negotiis, quæ mensuris et ponderibus transiguntur, ad prævalendum ex vanitate, id est, ut fraudibus prævaleant et decipiant, fraudibus (inquam) vanitate plenis, quæ nihil solidi et veri lucri apportent. Quare sanctus Hieronymus ex Hæbræo reddidit: *Ut fraudent invicem.*

Deinde, fac interpretationem Calvinii solam esse veram et germanam, quid inde lucrabitur? an quia dicitur homo vanior vanitate, nihil boni moralis operari poterit? Vani enim dicuntur homines, ut ait Sapiens, in quibus non inest scientia Domini, et qui nihil querunt aut appetunt, nisi humana et terrena, quæ cum divinis et cœlestibus comparata vana, vel potius vanitas merito nominantur, juxta illud Psalm. iv: *Ut quid diligitis vanitatem?* Hoc igitur solum ex eo colligitur, quod homo vanitas esse dicatur, ut nihil possit ex se operari, aut etiam cogitare in ordine ad salutem et vitam æternam.

Quintum argumentum sumit idem Calvinus ex illo Isai. lx: *Ecce tenebræ operient terram, et caligo populos, etc.* (1). Hinc enim sequitur ut omnis mundus, excepta Ecclesia, quæ per Hierosolimam, apud Isaiam, significatur, ignoret penitus viam justitiæ, ac per hoc etiam nihil omnino boni per se valeat operari. Respondeo: non loquitur Isaias de lumine naturali, quod ad bonamoralia cognoscenda requiritur, sed de lumine divino, quod necessarium est ad cognoscendum Christum, et rectam viam ad sempiternam felicitatem. Neque enim negari potest, quin Aristoteles in libris de moribus, Plutarchus in Opusculis, Epictetus in Enchiridio, Cicero in libris de Officiis, et Seneca in omnibus suis operibus, non ostenderint lumen naturale plus quam medioere in tradentis præceptis, et institutione morali.

(1) Isaiæ LX, 2. — (2) Hier. XVII, 9. — (3) Matth. VII, 18.

Sextum argumentum sumunt ex illo Hierem. xvii. *Pravum est cor homini, et fraudulentum præ omni re* (2). Sic enim ipsi vertunt ex Hæbræo. Respondeo: nihil ex hoc testimonio sequitur contra doctrinam, a nobis traditam. Non enim dicitur cor hominis pravum et fraudulentum, quia nihil boni moris facere possit; sed quia in eo fons est, et origo malorum, tum propter arbitrii libertatem, tum propter naturæ corruptionem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, adulteria, furta, etc. Matth. 15. Adde quod recte verti potest illud pravum, Hæbraice עקוב profundum, ut Græci reddiderunt Βαβεία sequitur enim: *Et inscrutabile, et quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans corda.* Ex eo vero, quod cor humanum dicitur profundum et inscrutabile, nihil efficitur quod ad rem præsentem pertineat.

Septimum argumentum sumunt Calvinus, Kemnitiuss et alii, ex illo Matth. vii. *Non potest arbor mala, bonos fructus facere* (3). Quod iterum repetitur Matth. 12. et Luc. vi. arbor autem mala est homo impius, ex Augustino lib. iv. Julianum, cap. 3. Respondeo: observandum est hoc loco, non esse omnino idem testimonium Matth. vii. et Luc. vi. sed diversa, et alia occasione prolata. Nam apud Lucam ponitur doctrina generalis, ad dignoscendos omnes hypocritas; apud Matth. cap. vii. ponitur signum cognoscendorum falsorum Prophetarum tantum. Rursus, apud Lucam spinæ opponuntur ficibus, et rubi uvis: apud Matthæum contra spinæ uvis et tribuli ficibus. Denique ea, quæ scribit Lucas, cap. vi. scribit Matth. cap. xii. necesse igitur est, ut quæ scribuntur Matth. vii. diversa sint ab iis, quæ scribuntur Luc. vi. nisi quis velit Matthæum bis eadem sine causa repetivisse.

Hoc posito dico, Matthæi vii. per arbores bonas et malas, non intelligi voluntates hominum bonas vel malas; sed doctrinas veras vel falsas, vel ipsos homines, quatenus doceant sanam doctrinam, aut corruptam et perniciosam. Dominus enim vult eo loco nos instruere, ut caveamus a falsis prophetis, qui veniunt ad nos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Docet autem, ex fructibus posse dignosci, utrum lupi sint, an pastores, id est, hæretici ministri, an Catholici Episcopi. Certum vero est, ex operibus ipsorum hominum, qui nos do-

cent, non posse cognosci doctrinam, cum opera interna non videantur, externa autem sint communia utrisque, et propterea comparentur vestimentis ovium, quibus lupi quoque se tegunt. Itaque idem Dominus, quoniam sciebat, non posse discerni doctrinam ex opere, cum sæpe mali bona doceant, monuit nos Matth. xviii. *Quæ dicunt facite, secundum autem opera illorum nolite facere* (1).

Vult igitur Dominus Matth. vii. ut ex fructibus doctrinæ, de ipsa doctrina, et doctoribus judicemus. Nam doctrina vere divina et Catholica est doctrina sana, et ex se parit obedientiam, pacem, concordiam animorum, et similia. Doctrina hæretica parit quodammodo naturaliter dissensiones, sectas, contumaciam, licentiam, contemptum majorum, et alia id genus. Commune siquidem est omnibus hæreticis, ut despiciant veteres Doctores, ut doceant, non esse acquiescendum Ecclesiæ judicio, ut in sectas varias brevi tempore scindantur. Itaque hoc testimonium ex Matthæo prolatum, non pertinet ad causam, quam nunc tractamus; sed solum obiter nos instruit, ut, nisi cæcisimus perspiciamus doctrinam Lutheri et Calvinii, et ipsos quoque, ut talis doctrinæ auctores, fuisse arbores valde malas, et ideo securi divini judicii excisos, in ignemque projectos.

Porro apud Matthæum, cap. xii. et Luc. cap. vi. per arbores bonas vel malas, intelliguntur voluntates hominum bonæ vel malæ, sive ipsi homines boni, vel mali. Sic enim Dominus ipse videtur exposuisse, cum ait: *Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bona; et malus, de malo thesauro profert mala* (2).

Ad argumentum autem, quod secundum hanc expositionem vires habere videtur, triplex solutio dari potest. Prima est, Dominum non voluisse significare, arborem bonam non posse facere ullum fructum malum, sed non posse facere omnes, aut plurimos fructus malos. Et contra, arborem malam, non posse facere omnes, aut plurimos fructus bonos, sed ordinarie quidem, et ut plurimum facere fructus malos, interdum tamen facere posse aliquos fructus bonos. Atque hoc est valde consentaneum experientiæ, tum in veris arboribus, tum in hominibus, per eas significatis. Nam arbores bonæ semper aliquos bonos fructus ferunt, quamvis inter-

dum aliquos aut non perducant ad maturitatem, aut a vermibus corruptos, ac per hoc malos gerant. Arbores item malæ, id est, putridæ, seu nimis antiquæ et cariosæ (id enim significat vox Græca σαπρόν) non tantum producant multos fructus malos et corruptos, sed etiam aliquos integros et bonos.

Alteria solutio est, per arbores intelligi actualem voluntatem bonam, quæ dicitur charitas, et malam, quæ dicitur cupiditas, ut exponit S. Augustinus in lib. ii. de actis cum Felice Manichæo, cap. 4. vel certe ipsos homines, ut operantur ex charitate, vel ex cupiditate. Ex hac autem expositione argumentum plane solutum remanet. Fate-mur enim arborem malam, id est, cupiditatem, sive hominem, ut operatur ex cupiditate, non posse facere nisi malos fructus. Sed non sequitur propterea, opera omnia hominis peccatoris esse peccata, quoniam interdum peccator non operatur ex cupiditate, sed ex bono naturæ, et tunc facit opus bonum morale. Sicut etiam interdum homo justus facit opera mala, id est, peccata venialia, quia non operatur ex charitate, sed ex corruptione naturæ.

Tertia solutio erit, si dicamus, per fructus bonos, quos non potest facere arbor mala, intelligi opera meritoria vitæ æternæ; per fructus autem malos, quos non potest facere arbor bona, intelligi opera meritoria mortis æternæ; per arborem bonam hominem justum, per malam, peccatorem, ut hanc similitudinem exponit Augustinus lib. iv. in Julianum, cap. 3. et lib. de gratia Christi, cap. 18. et 19. Hinc enim sequetur, ut sicut justus non potest facere peccata lethalia, nisi desinat esse justus; et tamen potest, etiam manens justus facere peccata venialia: sic impius non possit facere opera digna regno cœlorum, nisi desinat esse impius, et tamen possit, etiam manens impius, facere opera bona moraliter. Et certe secundum usum Scripturæ, fructus boni non dicuntur, nisi opera salutifera, de quibus dicitur Joan. xv. *Qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum.* Et ad Rom. vi. *Habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Et ad Galat. v. *Fructus spiritus sunt charitas, continentia, etc.* Et ad Ephes. v. *Fructus lucis est in omni bonitate, etc.* (3).

Octavum argumentum sumit Calvinus ex

(1) Matth. XXIII, 5 — (2) Matth. XII, 35; Luc VI, 45. — (3) Joan XV, 5; Rom. VI, 22; Gal. V, 22; Eph. V, 9; Joan. III, 6.